

in eodem quocumque pariete seu latere Turris positas, deinde signum tibi notabile observa in terra, quod ex illo Turris latere inspicere queas, aliud itaque primum omnium ex utraque fenestra aspice, & quod nam punctum tangatur a filo, utrinque observa, Tantum vide & Horoscopium & oculum quocumque ipse tuum ex utraque fenestra in aequali teneas altitudine a terra, mox quae sit distantia stationum ab ipso saltem oculi loco diligenter expende. Puta, fuerit in observatione distantia oculi 10. vlnarum, & in priori quidem filum fingamus cecidisse ad 20. puncta umbræ rectæ, quod & ut plurimum fieri solet, in altera vero ad 35. puncta eiusdem umbræ. Subtrahe itaque 20. a 35. & remanebunt 15. & dehinc illam pone regulam, 15. dant 100. quid dabunt vlnæ 10. Hoc est quantum altera observatio facta sit ab altera. Multiplica 100. cum 10. & provenient 1000. ea diuide in 15. & consurgent $66\frac{2}{3}$ vlnæ, iuxta illa Turris altitudo. Intellectum ex ac tibi præcedenti figura concipe.



PROBLEMA NONVM.

Habita iam ex superioribus altitudine Turris quomodo deinceps distantia illius a te apte & expedite inuenias?

Conmensurandi ratio illa licet in superioribus nusquam sit indicata, facilima est tamen, Observata enim iam Turris seu ædificii altitudine, in eum locum concede, cuius distantiam scire desyderas a Turri ad quam tamen non potes pertingere, Subleuato igitur horoscopio, turrim diligenter per pinnulas suspiciens, & signum in ea tibi Turri conceptum observans, unde iam ante altitudinem dimensus es, dehinc puncta considerans, vide si filum cadat super puncta 100. tunc enim eadem erit turris a te distantia que illius altitudo, tantumque tua quocumque adhuc deest longitudo, quam si a Turri sublimate subtraxeris, reliqua tibi manebit stationis tuæ a turri distantia. Problema hoc ut est utilissimum ita ad usum instructissimum, in quo tamen hoc videndum, quod si filum super umbræ versæ puncta ceciderit, maior erit distantia Turris a te quam sit illius altitudo. Id cumperies hoc modo, fingamus Turrim 123. passus habere in altitudine, inde tu corporis tui subtrahito prolixitatem, passus forte duos, & remanebunt adhuc 121. Tangente autem filo puncta umbræ versæ 75 numeros tu in hanc regulæ formam redige, 75. prebent 100. quid tandem consurget ex 121. ducto iam numero 121. in 100. produces 12100. productum diuide in 75. & provenient passus 161. distantia seu intercapedo Turris a corpore tuo. Quod si vero filum in puncta incidat umbræ rectæ, scias non esse tantam a te Turris distantiam, quanta huius est altitudo, huc ergo filum dependere in punctum 80. umbræ rectæ, & dic, 100. puncta dant 80. quid dabunt 128. passus! Duc itaque 121. in 80. & prodibunt inde 9680. illudque deinceps diuide in 100. & ex diuisione facta provenient passus 96. distantia Turris.

Effigies huius doctrinæ in Problemate 4. huius tertiæ partis tibi ob oculos posita est.

PROPO=